



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Germanica

Châteillon, Sébastien

[S.l.], 1558

Capvt XXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54866](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54866)

utrum sit expers peccati, an non sit, & utrum peccatum committat, an secus: & quid sit peccatū, & qua ratione, aut qua re corrigi, emendarique debeat aut possit peccatum. Atque hæc Deo contraria voluntas appellatur, & est inobedientia, Adamus, egoitas, ipsitas, propria voluntas, peccatum, siue vetus homo, Deum auersari, seque ab eo separare, hæc omnia sunt idem.

CAPVT XXXV.

Deus in seipso impatibilis, in homine patibilis est. **I**Am hoc animaduertendum est, in Deum, ut Deus est, non cadere dolorem, perturbationem, aut displicentiam: & tamen Deus turbatur propter hominis peccatum. & quia id in Deo accidere non potest sine creatura, oportet ut accidat ubi Deus homo est: hoc est, in homine deificato. Hic verò peccatum, Deo tantum dolorem adfert & tristitiam, ut Deus ipse libenter velit discrucari, & corporaliter mori, quò hac ratione vel vnus hominis peccatum extirpare possit. Quòd si interrogetur, utrum malit viuere manente peccato, an non & peccatum sua morte extirpare: respōdebit, se malle mori.

Est

Est enim vnus hominis peccatum Deo molestius, eiq; maiorem dolorem facit, quàm ipsius Dei cruciatus atque mors. Quòd si vnus hominis peccatum eum tanto dolore afficit, quanto eum dolore affici credendum est omnium hominum peccato? Hinc perspici conuenit, quo pacto Deum perturbet homo suis peccatis: ac vbi Deus homo est, aut in homine deificato, ibi nulla de re querela est, nisi de peccato, nec vlla res alia dolorem facit. Quicquid enim vel est, vel fit sine peccato, id vult Deus habere atque esse. At quæ propter peccatum existit querela & egritonia, eam in deificato homine manere & decet, & oportet, vsque ad mortem corporis, etiamsi viueret homo vsq; ad vltimam diem, aut in sempiternum. Hinc ortus est, et oritur Christi dolor occultus, què nemo vel eloquitur vel nouit, nisi solus Christus: ideoq; occultus & vocatur, & est. Et quidem est hoc Dei proprium, qui id habere vult, & eo delectatur in homine, & est sanè Dei proprium. Nam ad hominè non pertinet, neq; id potest homo.

Atq; vbi hoc Deus assequi potest, habet charissimū atq; acceptissimum, sed homini est accerbissimū atq; grauiissimum. Omnia quæ hîc scripta sunt de Dei proprietate, quam sanè habere vult in homine, in quo ea exeritur & exercetur, hæc inquã docet vera lux: et ideò docet, vt homo (in quo ea ad rem confertur atq; exercetur) non magis eã sibi vendicet, quàm si ipse non esset. Nam ita demum perspicitur, hominem hoc non posse, neq; hoc ei tribuendum esse.

CAPVT XXXVI.

*Christi
vita pro
pter se,
non pro-
pter præ-
miū, a-
manda.* **I**gitur sicubi eiusmodi deificatus homo esset, saute est: ibidem esset, aut est omniū optima præstantissimaq; vita, & Deo acceptissima, quæ vnquã vel fuerit, vel futura sit. Atq; ex æterno amore (qui Deum amat, vt bonum, & propter bonū: itemq; amat, quod est in rebus optimum et præstantissimum, etiam propter bonum) vsque adeo amatur vera præstansque vita, vt ea nunquam deseratur ab eo homine, in quo est, etiam si viueret is homo vsq; ad vltimã diẽ. Quin etiã fieri non potest, vt ea relinquatur, etiam si oppeteret is ho-
mo